DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
DE
CYANOSI,

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
CLARISSIMORUM AC CELEBERIMORUM
D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE
LAUREA SUMMISQUE IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS ET
PRIVILEGIIS RITE OBTINENDIS IN CELEBERRIMA
ACADEMIA JOSEPHINA
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

ANDREAS JOANNES HEINZ,
BOHEMUS BUDVICENSIS
MEDICUS CASTRENSIS.

IN THESES ADNEXAS DISPUTABITUR IN PALATIO ACADEMIAE
JOSEPHINAE DIE 17 MENSIS ~~JANUARII~~ Februar 1834.

VIENNAE.

Typis viduae Anna Stöckholzer de Hirschfeld.



SPECTABILI AC ESTUMANDO

DOMINO DOMINO

GUSTAVO EISENLOHR

CAES. REG. SENIORI CASTRENSI PHARMACO-

POEAE, NOSOCOMII CASTRENSIS VINDOBO-

NENSIS, ETC. ETC.

VIRO

SCIENTIA, INTEGRITATE, HUMANITATE

AEQUE VENERANDO, AMICO

NEC NON

FAUTORI OPTUMO

HOS STUDII MEDICI FRUCTUS SUMMA CUM

AESTIMATIONE VOVET

DEDICATQUE

Auctor.

DEFINITIO.

Cyanosis, morbus coeruleus, coerulosis, cyanopathia, cyania cardiaca, a graeco κυανος coeruleus et νοσος morbus, apud veteres Icterus coeruleus, gallis: Cyanopathie ou Cyanose, anglis: Blueskin, germanis: Die Blausucht, morbum parachromaticum, passione cordis provocatum sistit, cum colore cutis coerulescente, vel perfecte coeruleo partium epidermide teneriore vestitarum, ut: palpebrarum, alarum nasi, labiorum, omnis faciei, digitorum et unquium.

DIVISIO.

Antequam symptomata et causae, morbum provocantes recensentur, non supervacanea erit expositio divisionis, respectu prognoseos et therapiae admodum gravis, in perfectam seu veram, et imperfectam sive symptomaticam.

Prior morbum sui generis sistit, et vitio conformationis cordis sive congenito, sive adquisito, provocatur et plerumque constans manet.

Imperfecta vero morbis diversis aliis originem debet, inconstans cum adfectionibus oritur et occidit, et symptomatica dignitate solum insignitur. Sic colorem coerulescentem faciei, digitorum imorum et unquium, annulos coeruleos circa ocolus et os, in omnibus morbis observare licet, ubi refluxus sanquinis e corpore ad cor praepeditur, sanquis venosus, turbato in pulmonibus oxydationis processu, imperfecte solum in arteriosum mutatur, et latex venosus, rela-

tus cum sanquine arterioso, in organismo praevalet. Sic in morbis pulmonum diversis, in Asthmate convulsivo, plethorico et Ephialte, in Peripneumonia, in vomica pulmonum reclusa, in pthysi purulenta, in ultimo hydrothoracis stadio cyanosis adsociatur, ob impeditam magis minusve pulmonum functionem. In hydrope ascite quoque, si ingenti seri copia diaphragma valde elevatum pulmones comprimit, in Angina membranacea, ubi impedito per laryngem et asperam arteriam accessu aëris, sanquis sufficienti in pulmonibus oxygenio non imbuitur, in tussi convulsiva, in Synanche laryngea et bronchiali, vel coarctata nimiopere trachea per strumam ingentem, vel collariis angustis circulationem intercipientibus, cyanosis provocatur, nec non in aëre mephitico, parum oxygenii et magnam carbonei quantitatem tenente, ut in fodinis metallicis diu reclusis, cellariis et coemeteriis, in antris et cavernis, et in incarceratis frequens decoloratio cutis coerulea observatur.

Haec cyanosis symptomatica, inconstans plerumque, pro diversitate morbi vel cito disparet, vel periodica redit, vel ad mortem usque perdurat, si variis desorganisationibus continuo fovetur, uti in concretionibus pulmonum cum pleura et diaphragmate, praesentibus pulmonum tuberculis, in exulceratione et degeneratione hujus organi in massam sic dictam hepaticam vel sarcomatoso-medullarem *), vel si pulmones vertebris a normali situ aberrantibus uti in Kyphosi, lordosi et scoliosi constringuntur. Plures quoque Cyanoseos casus e supressa menstruatio-

---

*) Howison in Edinburg med. and surgical Journal 1817, pag. 309—313.

nis functione referuntur, quae restitutis mensibus mox tollebatur*) In febribus quoque, quin minima cordis anomalia praesto sit, color cutis coeruleus observatur, e. g. in stadio frigoris febrium intermittentium, imo febres quaedam cito decurrentes et colore cutis coeruleo stipatae vocantur febres cyaneae. **) Tumores varii in vicinitate pulmonum cordis et vasorum majorum ***) omnes algiae praeterea, pathemata et adfectus, nec non influxus externi, qui sanquinis circulationem impediunt et pulmonum functionem interrumpunt, colorem cutis pallidum coerulescentem monstrant. In Melanosi Chlorosi et in Scorbuto in superficie cutis hinc inde maculae et extremitates coerulescentes visuntur. In morbo epidemico quoque nuperrime omnes Asiae et Europae provincias depopulante, et atrocissimo, in Cholera, Caeruleosis observabatur, pari passu cum vehementia incedens, ab initio unques apicem nasi, oculorum peripheriam occupans, sensimque ad omne corpus semet diffundens, quae non aliter, quam ex impedito respirationis et oxydationis sanquinis processu explicari potest.

Recentionibus temporibus Gintrac †) quatuor Cyanoseos species proposuit. a) si vitium conforma-

---

*) Müller in Harless, Rheinisch Westphälische Jahrbücher, Bd. XII. Stk 3, Hamm. 1826, — Marcet in Edinbourg Journal, Vol. I., pag. 412 — Meckel, Archiv für die Physiologie, Band II., Heft III.

**) Salzburger med. chirurg. Zeitung, Bd. I., S. 79.

***) Lentin, Beyträge zur ausüb. Arzn. Bd. II., S. 68. — Trotter, in den Abhandlungen für practische Aerzte, Bd. 17. S. 103.

†) Vide Encyclopaedie der medic. Wissenschaften nach dem Dictionnaire de Médecine von Meissner, Leipzig 1830, Band III. Seite 296.

tionis in corde praesto est, et communicatio inter systema arteriosum pulmonale et arteriosum totius organismi, quae foetui convenit, post nativitatem perdurat. b) si influxibus variis in homine adulto antea sano, haec communicatio denuo restituitur, c) si morbis cordis organicis provocatur, quin sanquis venosus et arteriosus commisceantur, d) si ex suppressa menstruatione oritur.

Praecipuam attentionem, nec non disquisitionem penitiorem Cyanosis perfecta meretur, et quae de hoc morbo, utut rarius occurenti, ast periculoso et funesto notatu dignissima sunt, brevi exponere conabar.

SYMPTOMATOLOGIA.

Praeter colorem totius cutis coerulescentem, vel ad partes, epidermide tenui vestitas, restrictum, et sub quolibet nixu corporis vel mentis intentione, sub qualibet cordis irritatione increscentem et profundiorem, sequentia plerumque praesto sunt symptomata:

Coenesthoesis summopere alienata et contaminata, animus tristis et dejectus, anxietas periodica summa, delassatio et gravitas totius corporis, caput grave, occupatum, nonnunquam temulentum et vertiginosum, cutis omnis frigida, periodice rigida, frigus cum horrore omne permeat corpus, velut in stadio frigoris febrium intermittentium, quin calor illud recreare valeat, et sub singulis exacerbationibus ad algorem et rigorem usque elevatur. Vigente plerumque adpetitu, alvus segnis imo restricta est, deglutitio concessa, loquela sub insultibus impedita,

admodum debilis observatur. Respirationis modus strenue observandus, ad cognoscenda vitia cordis organica plurimum confert *). Diversae in Cyanosi respirationis anomaliae observantur, vel:

a) continua respirationis difficultas adest, aeger cito respirat, ast non profunde, et majis costarum elevatione, quam diaphragmatis actione respirationem absolvit, anhelans, velut in homine, cursu veloci confecto est, vel summa cum molestia solum aërem combibit, et indicia dyspnoës adsunt,

b) alias respiratio periodice tantum laesa observatur, exacerbationibus symptomatum morbosorum et irritatione cordis vehementiori provocata, aeger timore suffocationis excruciatus et cum sensu, ac si omnis denegata esset respiratio, citissime et in magnis intervallis respirat, adeo, ut per longum tempus vix ullus pectoris motus conspiciatur tandem inspirium citissimum et exspirium arduum dolorificum sequitur, quandoque sub hac orthopnoe, ad momentum, inspirium profundius concessum est.

Cor, omnesque arteriae ictus fortes plenosque exhibent cum undulatione et cardiopalmo, et doloribus constringentibus continuis in corde, pulsus irregularis intermittens, plenus et magnus plerumque tangitur, et ob congestiones frequentissimas ad caput, venae jugulares admodum turgent et mole sanquinis extenduntur. Sub paroxysmo, autem per longius breviusve tempus, omnes cordis et arteriarum vibrationes deficiunt, aegerque leipothymiae occumbit, e qua inspirio tardo difficili et profundo evigi-

*) J. N. Corvisart: Essai sur les maladies et les lesions organiques du Coeur et des gros Vaisseaux. Paris 1816.

lat, contorquentes in pectore dolores adcusans, et semet per aliquot momenta liberiorem sentiens. Hi paroxysmi tempore indeterminato redeunt, quo diutius morbus protrahitur, eo frequentiores adparent, et sub quolibet insultu partes coerulescentes antea profunde coeruleae evadunt. Sensim in decursu morbi, paroxysmorum numerus et vehementia, omnes adfectiones, respirationis anxietas, dyspnoe et orthopnoe, et cordis ictus magnitudine et vi increscunt, apices digitorum et unques fiunt crassiores latiores, obtusi, facies turgescit, oculi prominent, sensus visus hebescit, summa inquietudo anxietas, dejectio animi et caducitas adsociantur, motus exiguus aegrum delassatum summopere conficit, tandem omnis denegatur, pulsus et cordis ictus inordinati continuo perdurant, et extra paroxismos quoque pulsus intermittens observatur, respiratio continuo anxia, anhelans et difficilis est, incubitus plane denegatur, et situs quilibet corporis cito fit molestissimus, extremitates inferiores fiunt tumidae oedematosae, et facile, si morbus ad talem vehementiam exarserat, haemorrhagiae diversae adsociantur, e cavo narium, pulmonibus et ano. Gingivae tument, relaxantur, et facile sanquinem plorant. Sanquis excretus, utut arteriosus sit nunquam tote ruber vel coagulabilis conspicitur, sed indolem venosam magis offert, profunde tinctus, imo ater, dissolutus, omni plasticitate et calore destitutus, similem, ut in scorbuto, offert qualitatem. Aegri status tristissimus vel suffocatione sub paroxismo cito finitur, vel lanquor universalis musculorum debilitas, marcor, tabes, summaque virium omnium exhaustio vel hydrops universalis scenam claudunt.

Caeterum symptomata diversa sunt, pront Cyanosis in infantibus vel adultis occurrit, pro gradu vitii cordis, et individuali constitutione, adeo, ut in singulis casibus molestiae perexiguae solum adcusentur, alias continua labes agrum adfligat.

Pluribus observationibus evictum est, primas et tenerrimas aetatis periodos praecipue evolutioni Cyanosis favere. In multis neonatis paucas post nativitatem horas symptomata hujus morbi jam adparent, omne corpus, praesertim extremitates fiunt coeruleae, cum colore adhuc intensiore sub suctione et vagitu infantum, genae et extremitates mox post partum sunt frigidae, respiratio difficilis et diapnoica, cordis et arteriarum ictus irregulares, intermittentes, et mors paucis diebus vel hebdomadibus, sub leipothymia et continuis convulsionibus intrat. Referuntur casus*), ubi in infantibus color coeruleus, alternatim ex omni cutis superficie disparens denuo rediit. Ast non omnes infantes tam cito occumbunt, Haase**) refert, infantem, Cyanosi laborantem per duodecim annos vixisse.

Cyanosis cira dentitionem primam quoque evolvitur, praecipue si difficilis, et symptomatibus febrilibus stipata contingit, nec non in periodo illa, ubi circa pubertatis annos organa pectoris ad altius fastigium evehuntur, explicatur, saepius anomaliae menstruationis et Amenorrhoea ipsam causant, et tunc cum signis supra dictis sensim numero et intensitate increscentibus per annos plures multosve excurrit.

---

*) Kreysig: Ueber die Krankheiten des Herzens. Th. I. S. 371, Theil II. Abth. 2. S. 788.

**) vide: Dissertatio de morbo coeruleo c. tab. on. Lipsiae 1813.

AETIOLOGIA.

Quae provocare valeant causae praedisponentes Cyanosim, nondum cognitum est; sufficiat interea, causas excitantes cognovisse.

Cyanosis originem suam debet imperfectae sanquinis in pulmonibus oxygenationi et praevalenti propterea systemati, venoso universali et constanti. Sanquis venosus principiis vivificantibus destitutus, humilior, ac competit in qualitate et functione, celeritudine necessaria ventriculos cordis permeare non potest, et si vel accumulato sanquine vel alia causa sive externa, sive interna, sanquinis circuitus attamen acceleratur, cordis ictus fiunt rapidiores vehementioresque, respiratio impeditur, et insultus cyanoseos, anxietatis et syncopes adsociantur et deficientem vel imminutum sanquinem arteriosum excipit continuum totius corporis frigus.

Multi recentiorum medicorum, originem cyanopathiae ex impedita sanquinis in pulmonibus oxygenatione negant, tentaminibus a Davy*), Allen et Pepys**) institutis convicti, sanquinem sub respiratione carboneum amittere quod cum parte oxygenii in aëre inspirato contenta in acidum carbonicum junctum exhalatur, nullam attamen oxygenii partem immediate in pulmones abire, quae sanquinis mutationem e venoso in arteriosum sistat. Num sanquis venosus per gas oxygenium inspiratum, num per jacturam carbonei, mediante processu respirationis processu, in arteriosum mutatur; num hic processus sit mere chemicus, vel dynamicus, asse-

---

*) Gilbert's Annalen der Physik. Bd. 19. S. 298.

**) Schweiger's Journal für Chemie und Physik. Bd. I. Th. I.

rere non audeo. Constat attamen, sanquinis crasim sub respiratione mutari, ipsumque alterioribus et vivificantibus imbui principiis, quae non solum majorem vitalitatis et plasticitatis gradum verum et colorem ejus laete rubrum et adauctam thermogenesim causant, et eoque evictum est, hanc ad altius fastigium evolutionem sanquinis in Cyanophaticis restrictam et imperfectam esse. Ast, reliqua Cyanoseos symptomata perpendentes, non unice impeditam sanquinis oxygenationem, vel ut praeprimis placet, cum principiis vivificantibus unionem imperfectam, verum eminenter vitia cordis et anomalias vasorum majorum qua causam Cyanosis adcusare debemus, si nempe sanquis venosus cum arterioso in corde miscetur, vel sanquinis adfluxus ad pulmones impeditur. Medici galli *), vitia cordis unicam morbi causam esse asserunt, et Corvisart refert: in casibus, quos observare licuit, color faciei et cutis permanens coeruleus communicatione abnormi ventriculorum cordis provocabatur, quin tamen adfirmare velim, hanc anomaliam semper et unicam esse causam. Caeterum mares magis obnoxii sunt Cyanosi ac foeminae. —

Ad vitia cordis et vasorum majorum, quae in plurimis casibus ut causae congenitam Cyanosim excitantes considerari possunt, sequentia referimus:

I. Homo, in statu foetili in evolutione sua omnium animantium genera percurrit, et, quam primum haec sensim progrediens evolutio remoram patitur, vel inhibetur, offert dein in lucem editus, ty-

---

*) Morgagni, Senac, Caillot, Ribes, Laennec, Dupuytren, Corvisart.

pum entium humiliorum. Quae in genere sancita lex est, respectu evolutionis, etiam in cordis conformatione observatur. *) Ocyssime comparet in Embryone punctum saliens, quod sensim in vasculum dilatatum abit. Talis structura cordis infimis entibus, insectis etc. competens nonnunquam in monstris hominum detegitur, cum vero typo humano penitus non sit conforme, et typum entium humilimmorum aemulatur, fit, ut vita humana foveri nequeat, et foetus jam perit. Alias cor uno solum atrio et ventriculo constat **), vel cor duobus quidem componitur atriis, sed uno solum ventriculo ***), vel atriorum et ventriculorum angustatio insolita, vel nimia extensio, valvulae vitiosae conformatae, situs cordis et vasorum majorum perversus observantur.

II. Conditio cordis et vasorum majorum, quae vitae foetili competit, perdurat, arteriae pulmonalis nimia angustia, vel plenaria oblitteratio praesto est †) vel foramen ovale inter atria cordis, et ductus arteriosus Botalli patet, adeo ut immediata sanquinis venosi cum arterioso commixtio contingere queat ††). Compluribus cadaverum sectionibus evictum attamen est, patente ductu Botalli non semper Cyanosim,

---

*) Kreysig l. cit. Th. I. pag. 375. — Th. II. Abtheilung II. pag. 816. — Farre, on malform. on the human heart, illust. by num. cas. and 5 plates. London 1814.

**) Wilson in Reils Archiv für Physiologie Bd. 4. S. 448.

***) Thiedemans Zoologie Bd. I. pag. 177. — Sandifort. Observ. anat. pathol. C. I. p. 9. — Haase Diss. citat.

†) Hunter Med. comment. by Duncan. D. II. v. LX. No. X. p. 325.

††) Ribes in Leroux Journal de Med. Sept. 1815, p. 422—431. — Hein de istis cord. deform. quae sanq. venos. arterioso misceri permittunt. Göttingae 1816.

sed solum anxietatem et respirationem anhelantem provocari *).

Quae in foetu nondum respirante inomisse necessaria est communicatio sanquinis venosi et arteriosi, sensim in neonato superflua redditur. Ubi vero haec foetilis conformatio perdurat, pars sanquinis venosi debita quantitate oxygenii in pulmonibus nondum imbuta, immediate talis, qualis est in circulum arteriosum abit, venositas praevalet, et sic ansa Cyanoseos fit.

III. Ramificatio et insertio vasorum majorum a norma abludens, sic arteria pulmonalis et aorta ex uno eodemque ventriculo orientes observabantur, vel aorta ex utroque cordis ventriculo prosilit, vel arteria pulmonalis e ventriculo sinistro et aorta e ventriculo dextro oritur, et hac ratione immediate venosus sanquis arterioso admiscetur. Valvulam Eustachii nimis evolutam et patentem, Cyanoseos ortui favere, constat e functione ejus physiologica.

Praeter hanc Cyanophatiam congenitam, quae vel retardatae, vel humiliori, ac aetati competit, cordis evolutioni et conformationi vel pathematibus vehementibus sub graviditate**) vel vasorum majorum anomaliis diversis originem debet, observatur quoque secundaria seu adquisita. Diversae morbosae cordis adfectiones, praesertim cordis dextri et arteriae pulmonalis angustationes, quae minores per pul-

---

*) Meckel, Handbuch der pathol. Anatomie. Th. I. p. 450. — Nouveau Journal de Méd. Chirurg. Pharm. etc. par Béclard, Chomel etc. Tom. IV. 1819. Mag. —

**) Clar. Prof. Bischoff: Grundsätze der Erkenntniss und Behandlung der chronischen Krankheiten. Wien [illegible] Bd. I. S. [illegible]

mones circulum magis minusve impediunt, et restitutio vel amplificatio foraminis ovalis ipsam in omnibus vitae periodis provocare valent, *) nec non ossificationes valvularum arteriae pulmonalis. **) Opiniones, quomodo foramen ovale restituatur discrepant. Fors, praesente adfectione pulmonum e. g. in Peripneumonia, in tuberculis pulmonum, turbato circulo sanquinis minori, sanquis in corde dextro stagnans, pressione sua mechanica tenuem lamellam, foramen ovale obturantem destruit, et mixtionem sanquinis venosi cum arterioso per venas pulmonales ad cor sinistrum devecto causat, et sic explicari possit cyanis tussim convulsivam vehementem et chronicam excipiens, verosimilius tamen Carditidi ejusque malis posthumis, suppurationi exulceratione et substantiae cordis degenerationi originem debet.

MORBI DECURSUS ET TERMINATIO.

Morbus decursum, durationem, vehementiam et terminationem diversam offert, pro diversitate et gradu vitii conformationis, cui originem debet. Si vitium tantum est, ut functiones ad fovendam alendamque vitam inomisse necessariae, destruantur, cyanosis mox post nativitatem adparet citoque cum omnibus symptomatibus ad summum evecta fastigium infantem intra 6—9 dies orci faucibus tradit. Si vitium conformationis vero functiones organico vita-

---

*) Corvisart loc. cit. p. 272 — Tacconi Comment inst. Bonnon. Tom. VI, pag. 64. — Abernethy chirurg. und phisiol. Versuche übersetzt und mit Anmerkungen von Brandis, Bd. I. pag. 156 etc. — Deschampes in Richcrand noveaux elemens de Physiologie, Paris 1807, Tom. I. pag. 292.

**) vid. Cl. Prof. Bischoff, loc. citato.

les non penitus impedit, sed solum limitat, cyanosis circa septimanam alteram, secundum post nativitatem mensem, vel in periodo primae dentionis adparet, et symptomata sensim tantum, numero et vehementia increscunt, et quamvis non raro unus alterve morbi insultus jam aegrum necat, plerumque tamen circa pubertatis annos occumbit, imo referuntur casus, ubi in hisce annis cyanosis penitus disparuit. Sic in puero quatuor annorum *) praeter colorem cutis coerulescentem cuncta symptomata morbosa disparuere, quae solum post motum vehementiorem vel usum potulentorum spirituosorum ad momentum redierunt. — In genere morbus, serius ocyus, haud aliam, ac in mortem inibit terminationem, si primis vitae annis aegrum jamjam infestavit.

Ubi vero, peracta jam pubertate, Cyanosis causis diversis provocatur, non adeo funestas vitae struit insidias. Sensim solum color cutis fit coerulescens, insultus singuli, longo intervallo et mitiores intrant, et tunc solum exasperantur, si aeger vel motu nimio, vel regimine neglecto et diaeta incongrua passionem cordis et respirationis processum turbavit, et aegri non raro 40 imo 80 vitae annum attingere possunt. Sectio cadaverum diversas in conformatione cordis et vasorum majorum monstrat anomalias, quae in Aetiologia expositae fuere, adeo ut exinde mixtio sanquinis venosi cum arterioso pateat, praeterea venas turgentes et dilatatas arterias e contra angustiores, vascula capillaria venosa admodum evoluta, pulmo-

*) Thomas in Med. transactions of the med. society of London Vol. VI. 1813, — Hufelands Journal von 1815, May N. 4, pag. 52.

nes flaccidos, collapsos, pro parte induratos et degeneratos et organorum abdominalium, praesertim hepatis lienisque molem mirum in modum adauctam, abscessus et hydadites in cerebro, seri collectiones in ventriculis cerebri etc. —

PROGNOSIS.

Quamvis casus nonnulli adnotentur, ubi Cyanosis, vitio organico cordis originem debens et per plures annos existens, feliciter sanata fuit, quin ulla posthumarum adfectionum indicia relinquerit; cyanopathia tamen, quae vitio cordis vel vasorum majorum organico innititur, non aliam, ac ancipitem et limitatam prognosim admittit, et quidem eo funestiorem, quo magis vitio hocce processus organico-vitales turbantur vel impediuntnr. Magnum in prognosi statuenda respectum aetas individui, et num morbus congenitus sit vel adquisitus, meretur. Diversae evolutionis periodi, quae proprios vitae humanae cyclos sistunt, ut dentitio prima et altera, pubertas, anni climacterici, incipiens organismi revolutio morbum plerumque ita exasperant, ut vita in summo discrimine versetur, et facile suspicio movetur, et observationibus contestari potest, his certis vitae temporibus majorem oxygenii seu principiorum vivificantium copiam organismo necessariam esse, qua deficiente sanitas, ipsaque vita periclitatur. *) Ubi tussis vehemens, ibi prognosis anceps, ubi vero complicatio morbi cum scrophulosi, scorbuto, syphilide vel aliis cachexiis praesto est, prognosis funesta erit. Ex-

*) Pallehner Diss. de Cyanosi, Viennae 1832, pag. 12.

perientia constat, sexum virilem frequentius ac foemineum huic morbo succubuisse.

Numquam medicus attamen aegrum penitus deferat vel de ipso conclamet. Saepius enim vires jamjam exhaustae denuo recolliguntur, symptomata morbi coerulei periculosa mitigantur, imo forsan a natura medicatrice in casibus illis, ubi Cyanosis non in cordis degenerationibus et conformationis vitiis, sed potius in imperfecta singularum cordis partium evolutione fundata est, restitutio conditionis normalis exspectari potest. *)

Valde momentosus, respectu prognoseos est morbi gradus et impetuositas. Quo intensior et magis constans color coeruleus est, quo frequentiores insultus diapnoici et syncopes, quo magis omne corpus algidum, cordis et arteriarum ictus irregulares et intermittentes observantur, qno profundius opus digestionis et nutritionis turbatur, et quo juniorem morbus adgreditur; eo gravius quoque aegro imminet periculum.

THERAPIA.

Causae Cyanosim provocantes tam profunde in organismo plerumque sunt reconditae et adeo occultae, ut discerni nequeat, an vitium in corde, vel in pulmonibus, vel in permanente typo cordis foetili fundatum sit. Natura et ars ipsas tollere plerumque nequit. Hinc praeter indicationem pro therapia directam, ut omnes influxus, qui cordis et vasorum actionem concitant, strenue ammoveantur, directe

*) Richters specielle Therapie, Wien 1830, Bd. 5, S. 166—167.

morbum tractare non possumus, eo solum omni conamine tendentes, ut molestiis et turbis compositis aegri miseria moderetur et vita prolongetur, quod partim remediis pharmaceutivis et diaeteticis, partim tractamine psychico adsequitur.

Indicationes indirectae autem sequentes ad implendae sunt:

1. Quaelibet nimia cordis actio et irritatio praepediatur vel minuatur,

2. Insultus pro viribus praecaveantur, mitigentur et componantur,

3. Sanquinis crasi meliori prospiciatur, ejusque in pulmonibus mixtio cum oxygenio facilitetur et sublevetur.

Primae indicationi correspondent strictum regimen diaeteticum corporis quies, animusque tranquillus nec pathematibus nec adfectibus sollicitatus, aër purus, moderate calidus, victus modicus tenuis digestu facilis, e regno vegetabili depromptus, ad sitim fallendam aqua pura vel cum acido vegetabili mixta (victus carnosus, uti et potulenta spirituosa, aromatica et vinosa ob stimulum suum et subsequentem inde cordis et respirationis organorum irritationem, ita et cursus velox, cantus, sermocinatio protracta, repentinum refrigerium vel aestus nimius, vel immodicus ciborum usus sedulo evitentur) conducunt praeterea motus corporis moderatus aut potius passivus e. g. vectio in rhedis, continuus in alvi excretionem liberam respectus, hinc pro necessitate remedia solventia antiphlogistica, eccoprotica, fructus horraei vel clysmata solventia, et sanquinis depletiones topicae vel universales, cautissima attamen manu administrandae, et virium sta-

tui, constitutioni aegri, nec non morbi gradui adcomodandae *). Cum somnus in omnibus cordis adfectionibus ad recreandos aegros plurimum contribuat, videndum est, ut tranquillus concedatur, ammovendo omnes influxus, quibus turbatur vel interrumpitur, incubitus autem optime cum capite et thorace elevato et in dextro latere conducit. In infantibus neonatis, si prima Cyanopathiae indicia observantur, illico excretioni meconii prospiciatur vel clismatibus solventibus, vel syrupo Cichorei cum Rheo et cum suctio plerumque admodum difficilis, vel plane impedita est, ob symptomatum omnium nixu hoc provocatam exacerbationem, infans artificialiter lacte materno, vel sero lactis nutriatur, et si venae capitis nimiopere sanquine turgent, et suffocatio vel apoplexia ex impedito sanquinis circulo imminet, hirudines in collo adplicentur. Magnam quoque famam balnea tepida universalia **) adquisivere, et ad frigus totius corporis refocillandum, et ad systematis capillaris actionem expcdiendam, lotiones corporis vel singularum partium cum aqua calida frictiones et involutiones extremitatum et pectoris cum panno lanneo calefacto, quibus non solum insultus diapnoici praepediri possunt, verum aegri syncope correpti resuscitantur ***), in congestioni-

*) Quamvis sanquinis depletiones admodum proficuae sunt, sanquinem eliminando, vigorem ejus compescendo, et cordis actionem componendo, strenue tamen contraindicantur in tenellis et exhaustis cum pulsu parvo debili et lanquente cordis motu.

**) Farre loc. citat. pag 13—15.

***) Morgagni de sedib. et causis morbor. Epistol. XVII. Art. 26, 27. — Corvisart. loc cit. pag 29?.

bus ad caput vel organa pectoris pediluvia cum cineribus, sinapismi ad suras, imo embrocatio pectoris cum aqua frigida commendatur *).

Altera indicatio postulat, ut insultus praepediantur vel minuantur. Paroxysmorum invasionem praepedire non valemus, cum in intimo nexu cum morbo ipso existant, quem hucusque non contingit subflamminare. Praesertim ad insultus mitigandos ab omnibus narcoticis remediis, a Moscho Valeriana Opio etc. desistendum est, hisce enim pharmacis praevalens sanquinis venositas adhuc augetur, et summum induci potest periculum **). Situs corporis sub insultu talis concedatur, qui optime respirationi liberae favet, clysma leniter solvens adplicetur frictiones corporis cum panno lanato tepido ordinentur, praesertim vero hirudines in collo et pectore, qui e parte summopere adfecta partem sanquinis venosi detrahunt, magnum adferent levamen ***), et in adultis sat fortibus Venaesectio. Inter remedia pro usu interno eminent vero refrigerantia diluentia, emollientia, aperientia, Manna, Tamerindi, sales medii, Infus. laxat. D. V., Electuarium lenitivum, succi fructuum horraeorum et plantarum recenter pressi, praecipue vero Calomel, quod non solum virtute sua eccoprotica, verum et influxu suo immediato in systema lymphaticum commendari meretur, praeterea, si sanquinis impetus phlebotomia vel universali vel topica fractus est Digitalis purpu-

---

*) Albertini De affection. cordis Venet. 1816. — Michaelis in Hufelands Journal Bd. 18. Stk. 3, pag. 63.

**) Nasse im Anhang zu Burns Schrift in Reils und Autenrieth's Archiv für die Phisiologie, Bd. 10, Stk. 1.

***) Sandifort Observ. anatom. path. Lugd. Bat. 776, C. I.

rea, quae miro modo aegris per longius tempus levamen et quietem conciliat motum et irritabilitatem excedentem cordis et arteriarum componit et pulsum rarum, imo rarissimum efficit. Ubi vero nimia debilitas et caducitas cum lanquente cordis motu et pulsu debili, et insultus nimis frequentes et vehementes praesto sunt, Spiritus Mindereri, liquor cornu cervi succinatus, liquor anodynus mineralis Hoffmanni vel aliquot Aetheris guttae *) cum Infuso flor. Tiliae, Melissae propinentur.

Tertia tandem indicatio jubet crasi sanquinis prospicere et sanquinis venosi copulam cum oxygenio sive principiis aëris atmosphaerici vivificantibus faciliorem reddere. Diversa hocce respectu commendata fuere remedia, quibus singularis in sanquinem vivificandum virtus tribuitur, diversaeque methodi proponebantur, ut sanquis venosam ac humiliorem indolem aemulans, ad altius fastigium, ad indolem arteriosam evehatur. Sic inspiratio gas oxygenii commendabatur **), ut eo facilius et citius sanquis oxygenii egenus per pulmones circulans ipso impraegnetur. Sed si perpendimus oxygenium merum inspiratum, remedium esse admodum irritans, pulmonum, cordis et arteriarum actionem concitans, et tentamina hucusque instituta gravissimis symptomatibus stipata fuisse, plus detrimenti, ac emolumenti haec methodus adfert, et quidem eo certius si veritas experimentorum supra de respiratione adlatorum constat, oxygenium non proprie principium esse vivificans ex aëre atmosphaerico in sanquinem abeuns, cum eadem

---

*) Cheston Abhandlung für prakt. Aerzte, Bd. XI. Stk. 2 pag. 226.
**) Betin loc. citato.

quantitas oxygenii, quae inspirabatur, cum carboneo e sanquine eliminato in acidum carboneum junctum, et cum aëre per exspirium egeratur *).

Sequens methodus iisdem premitur erroribus et difficultatibus. Nasse **) putat, sanquinis ad altius fastigium evolutionem, quae in pulmonibus cyanopathicorum non contingit, in aliis corporis partibus perfici posse, et quidem columnae voltaicae ope, si vel omne corpus, vel vasculum superficiale et cultro anatomico praeparatum cum positiva columnae sphaera in contactum immediatum ponitur, illo tamen respectu ut punctum indifferentiale utriusque poli extra corpus vel partem denudatam collocetur. Experimenta votis medicorum non satisfecerunt, nam processus respirationis, sanquinisque in pulmonibus perfectio non pureputem processus chemicus est, gravior enim et momentosior ejus est relatio dynamica, quam nec conflictu Galvanismi nec Electricitatis vel Magnetismi attingere valemus, si quoque verosimilius hae potentiae imponderabiles magno in respirationem insigniantur influxu.

Nevin***) transfusionem sanquinis in Cyanosi proposuit, eum in finem suscipiendam, ut e homine vel animali sano, sanquis principiorum altiorum dives, operatione chirurgica in venam et circulationem hominis, cyanosi laborantis transvehatur. Utique primo intuitu proficua videtur haec methodus, sed si perpendimus sanquinem illico, in eodem momento, ut e

*) Gilberts Annalen der Physik et Schweigers Journal l. supra cit.

**) Loc. supra cit.

***) In der Samml. auserles. Abhandl. Bd. 17. pag. 86 etc. und med. obs. and inquir. Vol. VI.

sphaera organismi vivi egeritur, mutari, et amplius non vitae sed chemismi legibus obedire, dein, cuicumque organismo propriam et individualem convenire sanquinis mixtionem et indolem, quam a priori determinare non valemus num alteri conducat, num heterogeneum stimulum sistit, et ad breve tempus solum mixtionem sanquinis mutari, quin vitium cordis vel vasorum emendari possit et tandem, quod operationem vix peractam gravissima et periculosa excipiant symptomata, ut oblivio, fatnitas, amentia, melancholia, convulsiones, nimia cordis et vasorum concitatio, etc. facile patet, hanc mechanicam sanquinis mixtionem in Cyanosi vix utilitatem ferre posse.

Alii ferrum, oxyda metallorum, fumigationem nitricam et muriatico oxygenatam, commendant.

Praestantius ac cuncta haec et multa alia remedia, quibus specifica ad Cyanosim tollendam et respirationis processum sublevandum virtus vulgo tribuitur, conducent ad crasim sanquinis emeliorandam, strictum regimen diaeteticum, quod in prima indicatione ex positum fuit, et balnea universalia tepida vel ex aqua communi, vel cum aceto vel e muria, quae praesertim singulari efficacia temperaturam totius corporis adaugent, systema capillare periphericum concitant, et forsan partibus suis constituentibus, sensim in organismum influentibus tantopere sanquinis mixtionem mutare valent, ut indolemquasi arteriosam prae se ferat. Laudantur praeterea remedia cuncta, quae acidum minerale vel vegetabile tenent, acidum tartaricum, citricum, sulphuricum dilutum, elixium acidum Halleri, succi fructuum horraeorum acidulorum, acetum, succus berberum ribium rubrorum, et in magna debilitate et lanquore aether

aceticus sulphuricus, quorum actio verosimilius non solum ad tractum intestinalen restricta manet, sed sensim ad hepar tendit, et egerendae nimiae carbonei quantitati favet quae secus sanquine retinetur, et stimulo proprio morbi tenorem auget, caeterum medicus numquam ab hisce remediis medelam et morbi eliminationem radicalem exspectet, sed solum levamen et vitae procrastinationem, nec faragine medicamentorum aegrum obruat. Recte hocce respectu Ferrus *), ait: „Therapia Cyanopathiae longum per tempus insufficientem et periculosam symptomatum curationem contestabatur. E tempore autem illo, ubi in causas morbi, disquisitiones penitiores institutae fuere et vitia comformationis ut causae morbum excitantes cognoscebantur, aegri tentaminibus empyricis amplius non vexantur.

Inter symptomata que respectum merentur, primum sibi vindicant locum, congestiones ad caput, quae hirudinibus ad collum, in fortibus individuis Venaesectione, sinapismis ad suras, pediluviis et purgantibus optime pacantur. Complicatio cum Syphilide vel Scorbuto tractamen exposcit antisyphiliticum et antiscorbuticum, pro casu individuali attamen modificandum, ne remediis adhibitis cordis et pulmonum labes major, vel mors ipsa induceretur. Haemorrhagiae supervenientes, utut funestissimae et imminentis plerumque mortis indicia sunt, nonnunquam remediis in et externis, ad sistendas haemorrhagias passivas commendatis pacari possunt.

---

*) Vide Meissners Wissenschaften loc. citato pag. 297.

Si morbus tandem faventibus circumstantiis, ut id experientia aliquoties contestatur, subflamminatur vel mitigatur, strictum regimen diaeteticum numquam negligendum, et quiete corporis animique, itineribus in regionibus amoenis, sub coelo miti et sereno, quae non solum salutarem idearum gravium dissipationem, verum et corpori proficuam suggerunt occupationem, et moderato omnium quae vita suppeditat bonorum, usu sanitas suffulciatur et tueatur.

THESES DEFENDENDAE.

1. Processu respirationis sanquis principiis vivificantibus imbuitur.
2. Origo morborum communium generationi aequivocae, contagiosorum vero sexuali similis est.
3. Capta mente sensim labuntur vires somaticae.
4. Cyanosis ineptae cordis et vasorum majorum conformationi originem debet.
5. Quamdiu poteris, non refugias ad causas morborum organicas.
6. Sanquis vitae factor, nervus ejus est regulator.
7. Medicus, eruditione chirurgica destitutus, nullus medicus.
8. Cystotomia lateralis, omnibus reliquis in calculos vesicales, operationibus praeferenda.
9. Quam praestans et praeceptis diaeteticis conformis est regula:

   Sumta cibus tamquam, laedit medicina salutem,
   At sumtus prodest, ut medicina cibus.
10. Medicorum patria in limitibus vitae et mortis sita est.
11. Febris nervosa primaria intermittens recte audit.
12. Graviditatis indicia incipientis nulla, progredientis ambigua.
13. Placenta praevia non semper exposcit partum violentum (Accouchement force).
14. Encephalitis in Scarlatina gravissimam sistit conjunctionem.
15. Dentitio, ut plurimum est processus pathologicus.
16. Functio glandulae Thymus est mechanica et chemica.